B. C. D.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

DIABETE,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ,

IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, VVEST-PHALIÆ, ET RELIQVA,

SVB PRÆSIDIO

IOANNIS ADOLPHI WEDELII,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS, PROFESSOR. PVBL. ORDINARII, MED. DVC. PROV. SAXO-VINAR. AC CIVITAT. IENENS. PHYSICI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA & Privilegia Doctoralia,

MORE MAIORVM RITE CAPESSENDI

SOLEMNI PHILIATRORVM DISQVISITIONI

submisit

FRANCISC. VVILHELM. LAMMERGELLE,

AQVISGRANENSIS

AD D. XX. DEC. M DCC XVII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

IENÆ, Stanno KREBSIANO.

gens admodum fuerit, habitum conciliant, vt eos & cognoſcere & curare recte ac prompte queat.

Illorum ex numero, cum ſpecimen inaugurale elaborare iuſſus ſim, iam ſelegi Diabeten, affectum non ita ſæpe obuium, quem fauente Diuina Gratia, pro viribus & temporis penuria tractandum ſuſcepi. Faxit Diuinum Numen, vt cedat feliciter!

---

§. I.

Diabetes alias ſipho dicitur, per quem aqua ſubito tranſit, a verbo διαβαίνω pertranſeo, qualis ab *Herone Alexandrino in Libr. Spiritalium Cap. II.* deſcribitur. Cumque in affectu, quem conſideramus, itidem ſubito tranſeat vrina, huic idem nomen fuit impoſitum. Reliqua nomina, quæ ſynonyma huius putantur, cum ſtrictiorem quodammodo habeant ſignificationem, paulo poſt, vbi variæ eius ſpecies pateſcent, recenſebimus.

§. II.

Definiri poteſt Diabetes, quod ſit ſecretio in renibus deprauata, qua vel potulentum aſſumptum aut plane non, aut non ſufficienter, mutatum, vel plus vrinæ, quam

quam fuit aſſumptum potus, citra εὐφορίαν ſecernitur, a vitio tam renum, quam ſecernendorum,proueniens. Maluimus ad ſecretionem, cui renes præſunt, referre hoc vitium, quam ad excretionem, cum illa proprie læſa ſit, hæc vero ab ea vnice dependeat, veſica nullo hic morbo laborante. Deprauatam vocauimus, cum & hæc actio, inſtar aliarum, vel imminuatur vel aboleatur vel deprauetur. Non autem hic imminuta vel abolita eſt, igitur deprauata erit. Secerni enim ſerum ſuperfluum tantum cum ſalibus tartareis & partibus bilioſis abundantibus, quæ coniunctim vrinam conſtituunt, debebat, minime autem humor nondum mutatus, nec ſerum ad conſiſtentiam ſanguinis ſeruandam neceſſarium. Adeoque, dum hæc non ſecernenda ſecernuntur, deprauatam eſſe ſecretionem, ſatis patet.

§. III.

Subiectum huius mali renes eſſe, ex dictis iam conſtare poterit. Horum enim officium eſt, vt ſecretionem vrinæ naturalem præſtent, quæ hic læſa deprehenditur. Nam, quamuis veſica humorem vitioſe ſecretum colligat, & poſtmodum excernat, inde tamen læſionem haud ſentit, &, ſi quæ conſurgat ab acrimonia & nimio affluxu ſecretorum, effectus potius vitii primarii eſt, adeoque ſecundario tantum tunc afficeretur.

§. IV.

In duas claſſes affectus huius ſpecies dirimi poſſunt, quarum altera ſecretionem & excretionem immutatorum,

rum, altera vrinæ vltra εὐφορίαν copiosiorem secessum sub se continet. Illa diabetes a quibusdam vocatur verus, hæc vero nothus seu spurius, ab aliis autem, in quibus etiam est Excell. *Christianus Ioannes Langius*, rectius illa diabetes nothus vel spurius, hæc verus salutatur. Prior commode etiam dicitur *diabetes primi generis*, & iterum diuidi potest, vt vel liquores potulenti plane non aut parum mutati exeant, manente colore, odore, sapore; vel cum reliquis ingestis in chylum mutati, hac forma vel cum vrina vel loco vrinæ transeant, & speciatim ab aliquibus *lienteria vel coeliaca vrinalis* dicitur. Posterioris duo iterum sunt gradus, alter vbi quidem vrina maiori quantitate exit, quam fuit ingestum potus, & id citra εὐφορίαν, minoribus tamen cum symptomatibus & *passio diabetica cum Illustri VVedelio* vocari potest: alter autem, qui *diabetes exquisitus* dicitur, cum excretione vrinæ nimia coniunctam habet sitim intensam & vrgentem, calorem præternaturalem & alia grauiora, paulo post dicenda. Hic etiam alias ob sitim summam *dipsacus* nominatur, vt & hydrops ad matulam, vrinæ profluuium, &c.

§. V.

Theodorus Baronius de Operat. Meiendi Lib. II. distinguit inter diabeten & vrinæ profluuium, renum culpa factum, illum vocando excretionem vrinæ nimiam cum siti inexplebili, calore &c. coniuncta tamen hac conditione, vt potio omnis talis omnino per lotium reddatur, qualis iamiam bibita fuerat, sine videlicet illius alteratio-

ratione in colore, odore & consistentia. Vid. ibid. *Cap. IV.* Vrinæ dictum profluuium autem ipsi est, si vrina nimis copiosa quidem, sed tamen alterata profluit, vt *Cap. IV.* docet. Verum ratione huius immutabilitatis maxime notari debet, non tam in hoc affectu, hisce symptomatibus stipato, occurrere ipsum potum pristina sua forma loco vrinæ secretum, vt colorem, odorem, saporem, & consistentiam adhuc obtineat, quam potius vrinam tenuem, aquosam, sine sedimento, vt sic vrinam potus referat, quanquam non sit. Ipse enim *pag. 170.*, dum verba *Galeni*, exuberanter reddunt quod biberunt, illustrare & explanare satagit, pergit: id est, plus mingunt quam biberint, ob colliquationem scilicet partium corporis. Quod si itaque plus mingunt, quam assumsere, fieri non potest, vt hæc vrina sit potus non alteratus, adeoque potius est serum fusum & colliquatum. Et hoc sensu a *Galeno Lib. VI. de Loc. affect. Cap. 3.* talis potus reddi, qualis assumptus est, dicitur. Frustra hinc differentia hæc facta est, cum idem diuerso loco affectus, nempe diabetes exquisitus, describatur, & ipse *c. l. p. 192.* fateatur, vrinæ profluuium simpliciter dictum, per quod renum culpa factum intelligit, parum differre a diabete, imo fieri secundum semitam diabetis.

§. VI.

Ad primæ classis diabeten referri etiam solet solidorum immutatorum cum vrina transitus, vt seminis coriandri, anisi, melonum, alkekengi, ficuum, tunicarum cerasorum, vuarum, frustulorum radicis apii &c. Verum

rum vix adduci possumus, vt hisce assensum praebeamus. Medicis quidem haec referentibus fidem habemus, quod id ipsum illis relatum sit ab aegris, potuerunt vero ipsi aegri in his falli facile, vt putauerint, se excreuisse tale quid, quod prius, in matula adesse, haud obseruarunt. Minime enim veri simile est, medicos ante excretionem vas conspexisse, vel etiam ipsi excretioni adstitisse, vt, omnis dubitationis caussam abesse, quis existimare queat. Vna cum sanguine enim illuc perferri talia potuisse, ad vnum omnes negant; alias vero vias, quibus materiale vrinae, cumprimis aqueum potulentum onerosum, & multo magis solidum eiusmodi, ad renes vel vesicam feratur, haud reperiri, certum est. Procul dubio enim tam ampli canales, transitum his concedentes, oculatissimis hodiernis anatomicis innotuissent. Imo duo potissimum repugnare, eaque valida, argumenta, Illustris *VVedelius in Physiolog. Reform, Cap. X. p. 316.* ostendit, ibidem videnda.

§. VII.

Exempla diabetis primae classis in quo liquores potulenti immutati emissi sunt, vt vinum rubrum, emulsio sem. viol. amygdal. &c. collecta apud Excell. *Ettmullerum* habentur. Coeliaca vrinalis ab eodem ex *Timaeo* recensetur, cui forsan addi potest *Felic. Plateri* affectus, ab ipso *Obseru. Libr. III. p. m. 836.* sub nomine mictionis lacteae diu siue noxa durantis descriptus. Diabetis exquisiti casus, vbi etiam incredibilis vrinae quantitas fuit profusa, apud *Sennertum* & laudatum *Ettmullerum* habentur allegati. In his etiam est, quem *Kenelmus Dygbi*

Orat.

Orat. de Pulu. Sympatb. ex *Petro Seruio* narrat: monialem nempe ob ieiunium diuturnum, vigilias nimias, & meditationes ſacras profundiores continuatas ita incaluiſſe, vt per aliquot ſeptimanas intra viginti quatuor horas vltra ℔CC. vrinæ reddiderit, copioſius, vt ille putat, irruente in corpus calidius aere, relictis ibidem & a veſica reſorptis particulis eius aqueis, quæ collectæ ſic copioſius fuiſſent excretæ. Inſtar ſalis tartari enim ſanguinem ita conſtitutum in ſe promptisſime deriuare aeris humiditatem, exiſtimat.

§. VIII.

Prius, quam ad cauſarum conſiderationem abeamus, phænomena horum affectuum recenſere vtile eſt, cum lucem cauſis eruendis affundant. Primæ claſſis diabetes, præter excretionem potulentorum magis vel minus immutatorum, moleſtiam & ſymptomata alia nulla fere, ſibi nempe relictus, coniuncta habet, vnde & leuior affectus, vel ſponte ceſſans, vel facilis curatu habetur. Ex manifeſtis cauſis prægresſis plerumque diureticorum, vt acidularum aliorumque, vſus antecedens commemoratur. Poſterioris vero clasſis diabetes his magis phænomenis conſpicitur: copioſior ſecretio vrinæ adeſt, quam potus vel aſſumptorum liquidorum quantitas concedit, & quidem citra εὐφορίαν, qua a critica eiusmodi ſecretione diſtinguitur. Critica enim aliquando fit talis ſecretio & excretio, bene agente & a vitioſis humoribus ſe liberante natura, vnde morbi præſentis vel ſolutio vel imminutio ſequitur, nullaque grauiora ſymptomata accedunt.

cedunt, nec diu durat, quin ſponte deſinat. Illa vero incrementum ſubinde capit, & ſub initium ab ægro non ita animaduertitur cum minor vel exigua tunc coniugatur moleſtia. Aucta vero ſuccesſiue quantitate ſecreti liquoris, aſſumpti liquidi menſuram manifeſtius ſuperantis, maiora iunguntur mala. Cum dolore enim & ardore circa regionem lumborum vrina excernitur, vires minuuntur, oris ſiccitas, ſitis asſidua & intenſa, nec a potu ſedanda, affligit, breuique a potione ad vrinam reddendam ſtimulatur æger. Febris iungitur, & hinc pulſus citatior, æſtus viſcerum & ardor ſentitur, appetitus ceſſat, vigiliæ & inquietudo adſunt. Non remittente morbo, corporis extenuatio & colliquatio inuadit, donec mors accedat, præcedentibus motibus conuulſiuis vel aliis.

§. IX.

Vrinæ, quæ ſub hoc affectu copioſior ſecernitur & quantitas & qualitas ſeorſim attendi merentur. Quantitatem eius ſuperare aſſumpta potulenta & alia liquida varia proportione, vt obſeruationes a dictis autoribus & aliis relatæ teſtantur, rationi & experientiæ conforme eſt. Verum plus vrinæ, quam totum corpus continere valet, vt eius pondus totius corporis pondus ter & vltra exceſſerit, excretum fuiſſe, vt hiſtoria a *Sennerto* ex *Gattinaria* & *Cardano* allegata innuit, fidem excedit. Fraudem hinc ſubfuiſſe, vel aliquid de faſcino ſe immiſcuiſſe, credibile eſt. Hoc enim medici ex relatione ipſius puellæ & adſtantium tantum percipere potuere, quoniam nullus ipſorum per diem ac noctem adſtare huic ægræ

vel

vel potuit vel voluit. Quam aſtuti ac malitioſi autem ſint ſæpenumero eiusmodi homines, admirationem vel aliud quid captantes, & hinc varia fingentes, experientia teſtatur. Aeris enim portiunculam intra corpus admiſſam tam breui tempore tantam dimittere ſui poſſe aquæ quantitatem, captum ſuperare videtur. Si autem experimentis recte inſtitutis & applicatis comprobari id queat, conſenſum præbere non dubitabimus.

§. X.

Ratione qualitatis vrina in vero diabete ſecernitur tenuis, pallida, aquoſior, ſedimentum habens nullum. Acrimonia gaudet, inprimis in principio, ardorem illum inducente, eaque vel ſalſa muriatica, vel acida, teſtante *VVilliſio Libr. de Vrinis Cap. IV.* lotium, inquiente, ita copioſe excretum ſapore acetum refert. Dulcem quoque poſitiue talem in diabete ſaporem, inſtar mellis vel ſacchari, vrinam habere, idem *VVilliſius de Medicamentor. Operat. Sect. IV. Cap. III. p. m. 64. & 67.* obſeruauit, talis autem in progreſſu magis redditur, colliquatione maiore fiente.

§. XI.

Cauſam vt inueniamus diabetis primæ claſſis, in quo immutata liquida exeunt, non opus habemus, vt vaſa peculiaria pro vrina potus fingamus, immediate a ventriculo & inteſtinorum canali ad renes vel veſicam pergentia, cum alias frequentior hic affectus, ſaltim in bibacibus hominibus deprehenderetur, vel etiam, vt ſuperius

monuimus, inuenta talia vaſa, tamdiu quæſita, tandem fuisſent. Nec etiam difficultate caret a *Theodor. Craan de Homine Cap. XIII.* propoſita pororum nimia apertio, tam ventriculi & inteſtinorum quam ipſius veſicæ & vreterum, quam apertionem a ſummo tunc in corpore dominante ardore prouenire exiſtimat. Neque enim in hac diabetis ſpecie talis ardor vel æſtus reperitur, quem ſupponit, neque in altera tranſitus talis non mutatorum obſeruatur, cruditatem enim vrinæ per potum immutatum tranſeuntem autores magis ſignificare, ſuperius oſtendimus. Pororum quoque talium inteſtinorum intro foras ſpectantium & veſicæ foras intro ſpectantium cum valuulis ſuis probatio ſufficiens facta non eſt. Ipſe enim fatetur, Borelli experimentum in veſica inſtitutum, ad oſtendendos hos poros, eſſe difficillimum, & exhiberi a ſe vel alio non potuiſſe. Ordinariæ hinc viæ ad hunc effectum explicandum omnino ſufficiunt, poſſe enim humorem talem cum ſanguine circulari, absque eo vt in timius remiſceatur, & in renibus iterum ſecerni, icterus euincit. In hoc enim, cum bilis in hepate ex ſanguine ſeparata per vaſa excretoria abire & excerni nequeat, cum ſanguine per venam cauam redit, & confuſa huic permanens in renibus cum vrina ſecernitur & excernitur.

§. XII.

Liquores potulenti ſi immutati a renibus ſecernantur, tam renum quam ipſorum liquorum vitio id contingit. Renum vitium conſiſtit in pororum & tubulorum vrinariorum maiore paulo dilatatione & laxitate, vt citius

tius, quam par eſt, & ſeceſſus vtiliorum particularum fieri queat, transmittatur liquor. Haud vero ab hac dilatatione timendus eſt ſtatim ſanguinis tranſitus, cum eo vsque, vt globuli ſanguinis penetrare valeant, dilatatio non fiat, ſed gradus eiusdem dentur. Liquorum vitium, ad effectum hunc concurrens, eſt eorundem mutatio debita deficiens. Quamuis enim alias in renibus in vrinam mutatio proprie fiat, non tamen hæc rite peragi poteſt, niſi habilis ad hanc rem accedat humor. Succeſſiuam enim ingeſtorum mutationem ſecundum naturam fieri debere, ex phyſiologicis conſtat, partim inprimis viis, partim in ipſo ſanguine & viſceribus eum in finem factis. Quod ſi hinc liquor potulentus nec inpriinis viis alterationem ſubiit conuenientem, nec in ſanguine reliquisque viſceribus, quod deficiente prima coctione itidem expectari nequit, minime in renibus conſuetam alias mutationem perfectam, imo renum dicto vitio præſente fere nullam acquirere poterit, ſed talis ſecernitur qualis accedit.

§. XIIII.

Deficit autem in aſſumptis potulentis mutatio neceſſaria, ventriculi & inteſtinorum culpa, ſi vel dimittant ea citius quam par eſt, vel eorum fermentum ſit debilius. Mora enim neceſſaria eſt ad hanc mutationem, qua denegata, ipſa deficit. Dimittunt ventriculus & inteſtina potum citius ob laxitatem fibrillarum & promptiorem in vaſa lactea receptionem, quorum orificia itidem ob laxitatem eiusmodi patula tunc magis ſunt. Fermenti,

debilitas a nimio diluente humido aliisque consurgit. Ob has itaque causas humores potulenti vel nihil vel parum admodum mutati secernuntur, quanquam cum *Christ. Io. Langio* hoc rarissime contingere putem.

§. XIV.

In chylum autem mutata potulenta si secedant & vel cum vrina vel loco vrinæ, sola tubulorum vrinariorum maior apertio in culpa est. Chylum enim cum sanguine circulari, & non statim plenariam mutationem subire, notum est satis. Hinc partes hæ per ampliores poros abire valentes secedunt in peluim renum & excernuntur citius quam par est. Solidorum immutatorum transitum, cum dubius nobis videatur, in medio relinquimus.

§. XV.

Veri diabetis causam scrutantibus obicem ponere autorum dissensus in determinando causæ subiecto poterat. In renibus eam quærendam esse, *Galenus* contendit & rationibus probat l. c. Eiusdem sententiæ sunt *Aetius Tetra bibl. III. Serm. I. Cap. 1. Alexander Trallianus Libr. IX. Cap. VIII. Theodor. Baronius c. l.* aliique. Non tam in renibus, quam aliis partibus causam diabetis quærendam esse *Sennertus Pract. Med. L. III. Part. VII. Sect. II. Cap. II. in annexa Quæstione II.* ibidem allegatis autoribus assentiens affirmat. *VVillisius de Med. Oper. Sect. IV. Cap. III. p. m. 64.* diabeten sanguinis potius & immediatius, quam renum affectionem esse, & originem suam inde sumere credit, quatenus cruoris massa velut deli-

que-

liquescit & in serositatem copiose nimis funditur. Verum cum omnes hi autores e re philosophati sint, conciliari facile possunt, modo nexum & applicationem causarum decentem respiciamus. Nam & colliquationem ac fusionem sanguinis,& renum vitium,& aliarum partium culpam concurrere certum est. *Immediata* nimirum diabetis veri *causa* est colliquatio & fusio sanguinis nimia in renibus. In renibus hæc fusio principaliter fit, & minime in tota massa sanguinea, quæ in maiore affectus gradu postmodum ab illa producitur & hinc accedit, semper tamen in renibus fortiori contingente. Nisi enim id esset, non omnino vrinæ secretio fieret nimia, sed per alia quoque organa excretoria diffluerent seu effluerent colliquatæ partes. Videmus enim alias sudorem colliquatiuum, diarrhœam colliquatiuam &c. fieri. Cum vero hic determinato tantum in loco fiat, necesse est, vt pars hæc simul affecta sit.

§. XVI.

Probe id agnouere *Galenus* reliquique,vnde &, sedem mali huius renes esse, recte affirmarunt, & causam immediatam constituerunt eorum intemperiem calidam & siccam. Et quanquam *Galenus* hanc non expresse nominauerit, laudatus tamen *Baronius c. l. pag. 161.* demonstrat, eundem hanc implicite dicto loco indicasse. *Alexander vero Trallianus & Paulus Ægineta* intemperiei huius expresse mentionem faciunt. Hæc quidem intemperies diuersi quid notare videtur, quam antea laudata fusio sanguinis, sed omnino res eadem his verbis significa-

ficatur. Fuſio enim & colliquatio ſanguinis in renibus tacta preſſius adhuc innuit, qualisnam intemperiei huius ſit gradus, vt facilius intelligere liceat quomodo ab hac cauſa effectus conſurgat. Nihil enim aliud hæc innuit, quam talem ſanguinis in renibus intemperiem, qua ſalinæ eius partes ita eminent præ ceteris, vt reliquas maiorem in motum citent, adeoque calorem maiorem excitent & illas in ſeroſitatem nimiam reſoluant, adeoque proportio, quæ deſideratur, vt & hic temperiei renibus conueniens ſit, turbata adſit. Deliquio autem & fuſione ita in renibus facta non poteſt non ſecretio per tubulos renales fieri copioſior & nimia. Attenuatis enim per deliquium hoc particulis gelatinoſis & in ſerum vitioſe reſolutis, diameter earum, minor redditur quam orificiorum ſecretoriorum apertura, prompte hinc recipiuntur & copioſe ſecedunt, impulſu ordinario & paulo maiore continuato. Tranſitu autem ſic copioſiori per tubulos renates fiente, tandem ipſis his laxitas & dilatatio quædam maior infertur. Ne vero quis putet, nondum ſatis patere conuenientiam, quoniam ſiccam ſimul eſſe intemperiem *Galenus* iuxta *Baronium* indicauit, eam quoque manifeſtam eſſe patebit. Quanquam enim in ſeroſitatem nimiam maſſa ſanguinea abire in renibus dicta fuit, non tamen humidior ideo dici poteſt, cum illa & ſalibus deturpata, non temperet, adeoque non humectet, & ſtatim ob dictam cauſam ſeparetur, atque hinc deficiat. Quam egregie hinc veterum ac recentiorum doctrina in multis conſentiat, ſi rem ipſam magis quam nuda verba reſpiciamus, ex his quoque euidens eſſe poterit.

§. XVII.

§. XVII.

Hoc itaque modo clarum & perſpicuum, ni fallor, eſſe puto, quomodo ſecernatur in renibus vrina nimis copioſa. Sed vndenam fiat in renibus talis intemperies vel ſalium ſeceſſus ac eminentia, difficile dictu videtur. Verum & hæc difficultas ſuperari poterit. Nam, vt breues ſimus, circulus ſanguinis in renibus aliquomodo impeditus in culpa eſt. Si enim ſanguini tranſitus per vaſa renum capillaria liberior retardetur, in arteriis renum hærens tardius quoque promouetur, ſanguis vero vegetus exiſtens, ſi ſubſiſtere cogatur, motum inteſtinum acquirit maiorem, hoc præſente ſalia euoluuntur & explicantur, & dicta inde conſurgit intemperies. Minor autem hic intemperiei eſt gradus, quam in inflammatione, quæ maiorem στάσιν ſanguinis pro cauſa habet, hic autem minor eſt & huic effectui proportionata. Hanc ſtaſin minorem infert in noſtro affectu humor acris ſalinus, vel alcalicus, vel acidus, vel medius, qui ad vaſa capillaria ſanguifera accedens, eorundem fibrillas criſpando & ſtringendo, ea anguſtiora paulo efficit, & promptiorem ſic tranſitũ impedit. *Aetius c. l.* idem innuit, humores, inquiens in ipſo renum corpore imbibiti affectionem ipſam inducunt. Humor vero talis vel in maſſa ſanguinea hæret, lympha nempe ita conſtituta, & vna cum illa ad renes accedit, ibidemque decumbens id efficit; vel in renibus generatur, alio iam vitio ibidem exiſtente, vt calculo. Hoc enim præſente ſæpe numero στάσις lymphæ ibidem particularis infertur, quæ acrimoniam ita concipit.

§. XVIII.

Promptior autem & facilior ſeceſſus & eminentia ſalium fieri poteſt, quo copioſiora hæc maſſæ ſanguineæ inſunt, quibus magis deficientibus hoc haud facile, ſed potius contrarium vitium, conſurgere ſolet. Non enim in ſanguine denuo generantur ſalia in hoc affectu, ſed διάκρισιν præternaturalem ob dictam cauſam ſubeunt, iamdum ob alias cauſas præſentia, & antea magis a reliquis particulis contemperata & occultata. Concurrunt itaque tanquam cauſæ mediatæ remotiores ad huius affectus productionem, quæcunque ſalia in ſanguine accumulare valent. Ex *naturalibus* hinc temperamentum biliosum, vbi ſalium actiuiorum prouentus ſecundum naturam quoque maior paulo eſt, diſpoſitionem talem præbere, obſeruationes teſtantur. Habitus gracilis itidem ſalium ſecundum naturam exuperantium teſtimonium eſt, vnde & hi facilius ita tentantur. Ætas quidem quælibet ſalium accumulationem maiorem habere poterit, attamen in ſenibus ob lymphæ vappeſcentiam non raro prompte augentur. Ex *non naturalibus* aerem calidiorem, lympham difflando & reſolutionem intimiorem ingeſtorum iuuando, ſalia quantitate & qualitate augere aptum eſſe, regiones calidiores, vbi frequentior eſſe conſueuit, oſtendunt. Cibus & potus aliaque aſſumpta, ſi ſalinas copioſiores partes contineant, & maiori quantitate ingerantur, præ omnibus aliis id efficere poſſe, probatione non eget. Qualia enim alimenta, talis chylus & ſanguis omnino erit. Confirmant id obſeruationes quampluri-mæ, vbi a vini genorioſioris potu, piperatis nimium aſ-

ſumptis,

ſumptis, muria fœnic. marini bibita, a balſami ſulphuris, ſuccini ipſius, acidularum, thermarum, aliorumque abuſu ortus diabetes fuit notatus. Ita & motum nimium laboremque immodicum acriores humores reddere, notisſimum eſt. Nec vigiliæ ſiccantes & ſalium prouentum augentes ſine noxa deprehenduntur. Ne de ira frequentiori, meditationibus & ſtudiis nimiis, Venere nimia aliisq; dicamus. Ex *præternaturalibus* viſcerum depuratoriorum reliquorum v. g. hepatis ac lienis ſtatus ita mutatus, vt ſalia inde augeantur, & inde proueniens cacochymia ſcorbutica, febres ipſæ malignæ aliquando, calculus & ſimilia huc pertinent.

§. XIX.

Cauſis ita cognitis ſingulorum phænomenorum ratio haberi facile poteſt. In principio enim, ſi leuior acrimonia leuius impedimentum circulo ſanguinis in renibus adferat, minor quoque fuſio & colliquatio contingit. Et tunc quoque nulla vel exigua moleſtia ſentitur. Continuante vero malo abſumitur ſerum, ſanguisque acrior fit, & ſymtomata hinc augentur. Hæc tamen, ſi ſanguis haud ita multis ſalibus ſcateat, ſuccesſiue depletione eorum facta, non amplius ingraueſcunt, ſed imminuuntur facilius, quod in diabetica pasſione fit. Sin autem & ſanguis ſalium copia maiore gaudeat, & viſcera reliqua per dicta ſimul ad exaltanda & explicanda ſalia concurrant, magis magisque colliquatio hæc & fuſio augetur, & ſero partim exhauſto, partim intemperato reddito, ſanguis feruidior & calidior redditur in toto, & hinc febris ſuccedit, ſitis intenſa reliquaque eueniunt. Cumque

que nonſolum ad nutritionem ſic ineptus reddatur ſanguis, ſed & ad reſoluendas, colliquandas & ſecum rapiendas appoſitas particulas magis acuatur, conſumptionem corporis poſt ſe trahere omnino debet. Et ſic porro in reliquis ſe res habet.

§. XX.

Quantitatem vrinæ nimiam ex colliquatione humorum vitalium conſurgere, iam conſtat. Tenuis & aquoſa videtur vrina, quoniam per colliquationem partes conſtituentes intime ſolutæ, & ſibi commixtæ ſunt, vt ſeceſſum haud facile iterum ſubéant, quod ipſum ſalibus copioſioribus maxime debetur. Acrimonia autem ſalina, muriatica & acida, ſalibus his in eiusmodi ægris magis eminentibus,& colliquatione hac in apricum prodeuntibus, debetur. Dulcis autem a *VVilliſio* obſeruatus ſapor prouenit a partibus acidis & ſulphureis colliquatis intime remixtis. Horum enim connubio dulcem ſaporem oriri, *Illuſtr. VVedelius Theoria Sapor. Medic. Sect. III. Cap. I. pag. 81. ſeq.* comprobauit ſatis. Subiti tranſitus etiam cauſam multi quærunt, exiſtimantes, potum deglutitum ſtatim reddi. Aſt hic non ita ſine mora tranſit per renes, ſed tantum exeuntis & ad ſeceſſum parati liquoris exitum promouet, dum eius acceſſu repletis vaſis presſio per cordis ſtricturam maior omnino redditur, quam his ex parte depletis & paulo relaxatis. Presſione igitur fortiori fiente, vt ex hydraulicis conſtat, citior & copioſior tranſitus liquorum fit.

§. XXI.

Præſentia diabetis vel primæ vel ſecundæ claſsis in

ægro

ægro cognoſci poteſt ex phænomenis ſuperius tactis, pluribus vel paucioribus apparentibus. Signorum enim locum ſimul habent, & gradum & reliqua vna manifeſtant. Confirmatur id adhuc magis, ſi cauſas manifeſtas prægreſſas ſcrutemur, quæ de effectu etiam hic teſtantur. Euentum mali determinabit ſpecies diabetis, primi generis enim ſine periculo fere eſſe, dictum iam eſt, poſterioris autem grauius quid minatur. Maior tamen ſpes eſt, ſi leuior ſit gradus, & recentius malum, ætasque ægri vegeta, ſuperari affectum poſſe: & eo facilius, quo propius adhuc a ſtatu naturali abeſt. Pernicioſum ac mortiferum obſeruatur malum, ſi confirmatum iam eſt, ſenem corripit, vel alias vires iam deficientes offendit, ſubitoque grauius redditur. Acutus enim diabetes exquiſitus eſſe conſueuit, & absque mora ad conſumptionem totius abit, mortemque poſtmodum adfert, quam proxime inſtare, conuulſiones, aliaque grauiora notant.

§. XXII.

Curatio diabetis primi generis, cum a laxitate pororum renalium & fibrillarum ventriculi & inteſtinorum, horumque fermenti debilitate, proueniat, omnia autem hæc ab humido copioſiori nimis tum laxante tum dilatante dependeant, in eo conſiſtit, vt fibrillæ laxatæ roborentur, nimium humidum abſumatur, fermentique vigor reſtituatur. Conueniunt hoc nomine, adſtringentia, abſorbentia & blanda aromatica, quæ illis remiſceri debent. Talia ſunt terra ſigillata, Lemnia, bolus Armena, corallia rubra, lapis hæmatites, croc. martis adſtringens, tinctura mart. adſtring. & ſimilia, cortex chaquerill. qui aromaticus

ſimul eſt, vti & eſſ. arom. cort. aurantiorum, tinctura mart. balſamica reliquis mixta vſum habere poſſunt. Vna tamen aſſumptio humidi copioſioris vitanda erit, qua ſola ceſſante, robur dictæ partes etiam recipere ſolent, ſi mature fiat. Hinc etiam cauſa hac remota ſponte abiiſſe, obſeruatum fuit.

§. XXIII.

Aliam curandi rationem diabetes verus poſtulat. Primo enim fuſio & colliquatio ſanguinis in renibus nimia eſt remouenda, deinde acrimonia humorum contemperanda, & tandem tonus renum & totius reſtituendus venit. Fuſionem & colliquationem illam in renibus remouent, quæ acrimoniam fibrillis vaſorum inſinuatam delent. Hoc autem efficiunt, quæ in toto ſalia obtundunt & imminuunt, cum alius acceſſus ad partem affectam non detur, adeoque eadem, quæ ad ſecundam indicationem pertinent, primæ ſimul ſatisfaciunt. Humorum hinc acrimoniam temperant abſorbentia & demulcentia terrea, quæ poroſa exiſtentia in poros ſuos recipiunt ſpicula ſalina, vt ibidem occultata vim ſuam exerere nequeant. Laudantur hoc fine terra ſigillata, Lemnia, bolus Armena, corallia, vnicorum fosſile, terra Iaponica, lap. hæmatites, crocus mart. adſtring. C. C. vſt. ſpodium, &c. Acrimoniam temperant, & reſolutionem humorum impediunt adſtringentia quoque & traumatica, vt, præter ea, quæ in ante dictis habentur, tinctura mart. temperata, adſtringens, ſulphuris vitrioli, antiphthiſica, eſſ. traumat. potiuncula Syluii adſtringens, pulu. ſtypt. Wedel. albus & ruber, ex plantagine, agrimonia, piloſella, ſymphyto, biſtorta, tormentilla,

ſanda-

ſandalo rubro & ſimilibus parata, decocta, eſſentiæ & alia. Acrimoniam temperant, ſerumque blandum reſtituunt ſulphure oleoſo-aquoſo vel etiam mucilaginoſo & gelatinoſo conſtantia. In his reperiuntur gummata acrimoniam non habentia, Arabicum, tragacantha, lac vel aſininum vel bubulum, inprimis ſi ferrum candens in eo ſit extinctum, emulſiones ex ſeminibus 4. frig. ſucc. & ſirup. portulacæ, nymphææ, ſirup. de ſymphyto, papau. rhœad. gelatina cornu cerui, eboris, ex extremitatibus pedum vituli & ſimilibus parata. Temperant etiam acrimoniam humorum & colliquationem nimiam refrenant ipſa anodyna reliquis, inprimis circa noctem moderata quantitate iuncta. Laudat *VVilliſius* ad acrimoniam acidam temperandam etiam ſalina alcalia, vbi c. l. eſſ. antimonii non ſine leuamine ſe in hoc affectu adhibitam refert, & ipſam aquam calcis viuæ, quæ & ab *Ettmullero* probatur. Ipſe tamen fatetur, quod non facile ſalina talia exhibeat, cum omnino timendum ſit, ne colliquatio inde augeatur. Aqua calcis viuæ autem, cum partes terreas demulcentes & acrimoniam corrigentes ſecum habeat, magis adhuc locum habere poſſet, vnde & in phthiſi a quibusdam commendatur. Mallem tamen ab hac quoque abſtinere, cum ſimul alcalicæ acres inibi latitent, fuſionem facile ſubeuntes & augentes. Tandem acrimoniam humorum temperant, quæ affectum fouentem & coniunctum corrigunt, vt febrim, ſcorbutum, obſtructionem viſcerum reliquorum, quæ ex ſuis loculis huc referri poſſunt.

§. XXIV.

Non autem temperant acrimoniam humorum purgantia, diure-

diuretica, & acria quæcunque, quæ exulare omnino hic debent. Et, si forsan ex primis viis recrementa acria educi postulent, non nisi leuissima v.g. ex cassia vel rhabarbaro concinnata profuerint. Nec vomitum æque prodesse hic videmus, quanquam a quibusdam proponatur. Commotione enim illa stimulus motusque humorum potius augetur, quam sedatur. Exterius etiam quædam renum regioni imposita huic scopo idonea, reperiuntur, temperantia & demulcentia frigida. Laudatur sic succus plantaginis, rosarum, lactucæ, acaciæ, hypocist. oleum plantaginis, rosac. omphacin. nympheæ, myrtin. symphyti, vnguent. infrigid. Galeni, Comitissæ, cancri fluuiatiles recentes contusi, vel succus eorundem &c.

§. XXV.

Tonum renum viresque totius restituunt tam dicta, caussam morbosam remouentia, quam diæta conueniens. Aer igitur temperatior & ad frigidum magis inclinans conuenit. Cibus idoneus est boni succi, crassior paulo, salinis particulis magis carens, & gelatinosis ac sulphureis aquosis potius abundans. Hinc carnes animalium iuniorum, & maxime pedes vituli, veruecini, hædini, bubuli vtilitatem præbent. Sic & amylum, oryza, milium, alica varie cum lacte vel iure carnis cocta ac præparata, vt & auenacea, conducunt. Pro potu & decocta ac sorbitiones ex hord. plantagine & similibus inseruire possunt, & ordinarius potus alterari vel terra Iaponica vel aliis. Vinum vel omitti, vel rubrum tantum frigida temperatum concedi, potest. Nocent o-omnia salita, acria in cibis quoque, vnde abesse debent. Conuenit maxime somnus paulo longior, & quies potissimum cordi habenda. Motus enim deterius malum facit. Ira contraria quoque est, vt omnes affectus animi vehementiores. Hæc sunt, quæ inter innumera negotia præstituto breui tempore festinante calamo delineare, minime autem ad limam reuocare, licuit.

SOLI DEO GLORIA.